

quam poterit, cui omnipotens virtus tua as-
sistit, &c.

CONSIDERATIO VIII.

De Providentia DEI.

Hæc disponit omnia 1. Prudentissi-
me. 2. Suavissime. 3. Justissime.

P. I. *Hæc disponit omnia prudentissime.* Si
negotium aliquod tibi conficiendum
foret, cuius initium, progressus, ac circum-
stantias omnes ita perspectas haberet, ut rei
veritatem indubitate agnosceres; certus præ-
terea fores te nullo partium studio teneri,
sed sincerissimo affectu complecti eos, ad
quos negotium spectat; certus denique fores-
te a justitiae tramite ne latum unguem velle
deflectere; sed ex juris & æquitatis præ-
scriptio sententiam pronunciaturum, ac re-
ipsa pronunciare; ambiguresne de sententia
juste proleta? Qua ergo ratione dubitare lice-
bit rerum eyentus a divina providentia pru-
dentissime, suavissime, ac justissime disponi-
aut permitti, cum sapientia Divina provi-
dentiæ in dirigendo hoc universo veluti fa-
cem præferens, falli nequeat in rebus cog-
nosendis? nec bonitas divina deficere pos-
sunt.

fit in iis ad bonum suum in creaturatum ordinandis; nec justitia in illis disponendis, secundum leges & normam aequitatis? Et quidem quantum ad sapientiam divinam, quid ea perspicacius? Num quidquam tam reconditum, quod non detegat; tam remorum, quod non videat; tam perplexum, quod non penetrat & intime perspiciat? Nonne Deus totus mens est, uno simplici intuitu omnia videns, omnia penetrans, & praeterita, & praesentia, & futura; possibilia & que ac impossibilia; quae latent, quaeque patent; interna non minus, quam externa; ut nihil absconditum sit ab oculis ejus? Nonne omnia illa ab omni aeternitate extiterunt in ipsius mente, non aliter [quamvis infinite clarius ac distinctius] quam idea alicujus operis prius existit in mente artificis? Ut proin nihil eveniat in tempore, quod ipse non praeviderit in aeternitate: nihil sit praeteritum aut futurum, quod ipsi tota aeternitate non fuerit praesens, quin aut novit aliquid ipsi occurtere, aut antiqui excidere unquam potuerit: quin pariter aut multitudine rerum species potuerint confundi, aut varietate objectorum intellectus distrahi, aut una cognitio alteri supervenire, vel succeedere. Ah cum tam

late se extendat divinae providentiae oculus
(sapientia scilicet ac intelligentia divina) ita-
que intendat & attendat singulis, uti omni-
bus, & omnibus uti singulis; cum intelle-
ctus divinus tam clare ac distincte omnia cog-
noscat a primo ad ultimum, a maximo ad
minimum, quin vel atomus in aere, vel gra-
nulum in vastissimo terrae globo, aut gutta
in immenso mari eum latere possit; num ig-
norare poterit, quæ tibi aut mala aut bona
eveniunt? Sed nonne ingenuæ indoli hoc ip-
sum in quovis eventu sufficere deberet: *Do-*
minus videt. Gen. 22. Ipse novit, quæ me
nunc premat afflictio, nec si vellet, ignorare
potest: sciet infinita illa sapientia melius, quid
sibi faciendum aut permittendum, quam ego
cæcus ac miserabilis ignorans egressum &
intritum meum. 3. Reg. 3. Et quis ego, ut
dicere ausim, cur ita facis? Non sufficiet
mihi, quod & sciat, quæ circa me fiunt; &
sit dominus, cui integrum est facere, quod
ei placuerit? Ipsine prescribam, quid agere
mecum, quid circa me, meaque statuere
debeat? An Dominus requiret voluntatem
servi, ab eoque veniam petet faciendi, quod
facere decrevit? Deumne obligabo, ut ante,
quam de me quid decernat, prius me con-
sulat,

fulat, gratumne hoc, illudve mihi sit, an non? Nonne potius cum sacerdote Heli dicendum mihi foret: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* i. Reg. 3. Annon æquius, ut judicium meum submitiam & accommodem Divino, quam suum Deus accommodet meo? Ah Deus meus! agnosco, ne capillum de capite meo perire, quin tu ab æterno id prævideris, totum vitæ meæ cursum, omniaque quæ intra, extra, aut circa me fiunt, tibi probe nota, semperque perspecta fuisse: omnia enim nuda & aperta sunt oculistis. ad Hebr. 4. Si aliter, quam haec tenus evenere, aut deinceps evenient, evenire voluisses; quis tuæ resistere potuisset voluntati? Cur dirigi volo secundum proprium captum, nec magis confido infinitæ sapientiæ tuæ? An humano intellectu quidquam fallacis, magisque obnoxium erroribus? Quid insuper propriis consiliis & instinctibus periculosius? An est prudentia & consilium contra Dominum? Prov. 21. &c.

P. 2. *Suavissime.* Uti Deus totus mens est, ut errare non possit in dignoscendis, quæ predeesse aut obesse nobis possunt, ita totus amor est, ut sive prospera sive adversa nobis immittat, non possit, non intendere bonum

nostrum: quo enim alio fine nos condidit,
quam ut procuraret nobis omne bonum, sum-
mamque felicitatem? Si nos reddere voluiss-
et infelices, nonne satius nos in nihilo ne-
stro reliqueret? Quam aliam, ob causam
sua nos imagine insignivit, nisi ut haberet
semper præ oculis, quod amaret, cujusque
curam sustiperet? An malum illi velle po-
test, quem operum suorum principem, ac
hæredem omnium quæ possidet, constituit,
eumque in finem tot donis naturæ ac gratiæ
exornavit, totque efficacissimis salutis con-
sequendæ mediis copiosè instruxit? Cum
voluerit media tam proportionata fini, non-
ne & finem voluisse censendus est? Cumque
usque adeo filiam suum unigenitum dederit
in mortem, ut morte ipsius vitam nobis red-
deret; annon evidenterissimum nobis reliquit
sui sincerissimi in nos amoris argumentum?
Possesne tu Deo magis testari amorem tuum,
quam vitam tuam pro ipso immolando? qui
ergo Deus efficacius suum in nos probabit
amorem, quam moriendo & prope se ipsum
annihilando pro nobis maxime, si attendas,
quam infinitum discrimin intercedat te inter
& Deum, mortemque hominis pro Deo, &

Dei

Dei pro homine ? Quod si ergo tantus est
 Dei in te amor, an minor ejus de te cura esse
 poterit, minusve studium bono tuo consu-
 lendi ? quid enim majore studio conseiva-
 mus, quam quod tenere amamus ? Ibi amor, ibi
 sollicitudo, ibi timor amittendi, quo &
 amatur, sit necesse est. Hunc amorem &
 curam ut amplius tibi persuaderet Deus, qui-
 bus verbis & similitudinibus usus non fuit,
 dum jam gallinæ se comparat, congreganti
 pullos suos sub alas, & tenerima dulcedine
 foventi, Math. 27. Quis amor amabo, pu-
 rior ? Jam pastori bono, querenti oves etiam
 propria earum culpa perditas ; Luc. 15. Quis
 amor constantior ac generosior ? Jam nutrici
 ubera sua præbenti, seque ipsam exhaustienti
 ac debilitanti amore infantuli, quem nutrit ;
 Isa 66. quis amor tenetior ? Jam sponso vul-
 nerato amore sponsæ ; Cant. 4. Quis amor
 efficacior ? Jam parenti complacenti sibi in
 filio ; Luc. 15. Quis amor abundantior ? Et
 licet veritas æternator testimoniis amoris sui
 magnitudinem non declarasset, ad nos con-
 vincendos æterni ac infiniti sui amoris, non-
 ne satis nos convinceret ipsa Dei natura : cum
 enim sit bonitas infinita, nonne suipte na-

nura propendet ad beneficiendum? Sicut enim a fonte aliae non profluant aquæ, quam quæ sinu ejus continentur, dulces scilicet a dulci, amaræ ab amaro; ita nec a summo bono, & fonte omnis boni, aliud quam bonum profluere potest. Ah Deus meus! cur non projicio me inter brachia paternæ providentiaz tuæ; meique penitus oblitus, totus pendeo a te, sicut infans ab uberibus matriæ suæ! An alicubi melius mihi esse poterit, quam in manibz tuis; in quibus proprio sanguine tuo descripsisti me? An tutius & suauius requiescam, quam in sinu amantis & solliciti patris? Si perdere me voluisses, an expectandum tor annis fuisset; quos indulxisti mihi, ut ad te reverterer? Quibus proin aliis oculis intueri possum virgam tuam me interdum corripiuentem, quam virgam benevoli adhuc patris, filium suum ad fugem revocare volentis; ut merito illam velut signum & pignus benevolentiaz tuæ admittere, & cum Propheta dicere debeam: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Ps. 22. Ah mi Deus! nolo clementiam nunc parcentem, amo justitiam in tempore ferientem. Si nunc ferias, gratia est, si suspendas ac differas iustum, pena est. Quid prodest

ad

ad tempus esse felicem, & æternum mi-
serum? &c.

P. 3. *Justissime.* Tolle in Deo amorem, id
est animam ipsam Dei (cum uti totus boni-
tas, ita totus amor sit) nonne tamen, ut
Deo te totum permitteres, hoc unum suffi-
cere deberet, quod ait David: *Justus Domi-
nus in omnibus viis suis, & sanctus in omni-
bus operibus suis?* Ps. 144. Quid mali me-
tuere potes a justo, nisi fors ipse in iustus sis?
Et si talis es, an argueret Deum poteris, si fa-
ciat, quod justum est? Nonne potius vel
ideo laudandus foret, quod nemini noceat,
nisi volenti: neminem ad pœnam postulet,
nisi culpæ reum ac convictum: neminem con-
demnet, nisi propria culpa damnatum? Ut
falli non potest sapientia Divina in judicando,
ita excedere non potest iustitia in puniendo?
si proin reus es culpæ, quid quereris, si
Divina manus tetigerit te: cum fiat tibi, quod
postulat iustitia, quodque tu ipse tibi accer-
sivisti, si labis expers es, quid turbaris; cum
eveniat tibi, quod suggessit ejus bonitas ac
misericordia? Punientis enim, vel mis-
erentis est, quidquid a Divina manu profici-
citur. Sive interim puniat ut judex, sive mi-
sereatur ac parcat ut pater, nunquam minus

æquus

æquus est : imo æqualiter justus sive puniens,
 sive parcens , quia sanctus in omnibus operibus
 suis. Ps. 144. Quod si interim misericordem se
 præbet etiam peccatori, dic amabo, an parum
 aut minus justum se præbebit innocentis? Quis
 vel cogitare talia audeat de domino , qui eti-
 am ab homine tanto rigore justitiam exigit ;
 ut usque ad mortem nos velit certare pro ju-
 stitia ? Eccl. 4. qui que de se ipso testatur : In
 viis justitia ambulo , in media semitarum ju-
 dicis. Prov. 8. Hæc scilicet justitia semita est ,
 per quam incedit infinita ejus sapientia ac
 providentia : hæc semita perfectionis ac san-
 ctitatis ejus , a qua minus , quam sol ab orbis
 deflectet unquam , aut deflectere potest.
 Vides equidem paucorum saepe ambitionem
 ac perfidia , sus deque verti omnia , sanctissimas
 conculcati leges , amicitias ac societatis
 humanæ jura violari , opprimi innocentiam ,
 impietatem triumphare ; vides Ecclesiastete-
 ste. c. 3. In loco judicii impietatem , & in loco
 justitia iniquitatem ; ut videri possit mundus
 non tam Divina regi providentia , quam reli-
 cutus esse perversorum hominum libidini : ex-
 peritis non nunquam in temetipsum velut
 malorum torrentes confluere , te luctari cum
 morsibus ac miseriis , famam ac nomen tuum

malevo-

malevolorum dentibus lacerari , animam ipsam vexari molestia ac temptationibus , alios autem eis si aperte impios , opibus florere ac voluptibus ; ut cælum tibi æneum , aliis molle ac lacteum videri possit : at si ad Deum attollas oculos , mentemque omnibus præjudiciis vacuanæ , in Divinam providentiam defigas , quid ista commovere te debet ? Non enim minus iste permittit Deus & tua & aliorum hominum peccata , quam injuste a te & ipsis patrantur , nec minus severe in te & ipsos aliquando animadverteret , quam nunc patienter omnes sustineat : *Justum enim & impium judicabit Deus , & tempus omnis rei tunc erit . Eccl. 3.* Tuumne est involare in judicia Det , eique tempus , modum aut regulam præscribere , quibus se conformet ? Nonne sufficere tibi debet , quod ait Prophetæ ? *Omnia in sapientia fecisti . Ps. 103.* *Tua iudicia in tua providentia posuisti Judith 9. Justus es Domine & redum iudicium tuum . Ps. 118.* An contra providentiam egit Deus permitiendo , ut Patriarcha Joseph , unicum patris solarium ac gaudium , ab ipsis fratibus suis , Ismaelitis venderetur ? An minus provide permisit ipsummet filium suum unigenitum , ab iis ipsis , quos a morte æter-

æterna vindicaturus, in mundum venerat,
atrocissimo crucis suppicio affici? Non po-
terat scilicet proprium filium e manibus ini-
micorum eruere? Nonne potius hæc ipsa
mors filii Divinissimum providentia suæ con-
silmum fuit, quam si impediret, salutem
simul totius generis humani impedivisset?
Sed quis ego sum Deus meus! ut arcana pro-
videntia tua investigem, aut de iis loquar,
cum tua infinita sapientia sit, ac esse debeat re-
gula nostri judicij, tua bonitas infinita no-
stræ confidentia, tua justitia nostræ sub-
missionis? Cur regulæ tara certæ simul ac
sanctæ, in qua tota providentia tua funda-
tur ac consistit, in collectum ac voluntatem
meam non conformo? Quod tu sapientis-
sime, clementissime, ac justissime ordinas,
quare non lubens amplector, totum me sub-
jiciens tuæ providentia, quæ in sua dispo-
sitione nunquam fallitur; etsi nos lateant al-
tissimæ causæ, ob quas hæc illave aut statuas
aut permittas? Cur etiam afflictus & oppres-
sus timeo, ne curam mei abjeceris, utpote
non inveniens, quod quæro; remedium &
solatum? Num & filius tuus tibi cordi non
erat, quando cum infinitis doloribus, ac
morte, sine levamine ait solatiq;, luq;tabattus

in cruce? Ah si vel canis catulorum suorum
non obliviscitur, quin potius sollicite eos cu-
rat ac fovet, quomodo persuadete mihi po-
tero [quidquid mihi demum evenerit] quod
mei non recorderis, quem creasti, redemisti,
sanctificasti, non ut abjiceres & damnares,
sed ut tuis infinitis divitiis locupletares, ac
eterna tui possessione beatum redderes? &c.

CONSIDERATIO IX.

De Sapientia DEI.

Hanc declarat 1. mundi creatio. 2.
Mundi gubernatio. 3. Humanigen-
neris lapsi reparatio.

P. I. *H*anc declarat mundi creatio. *R*egina
Saba cum vidisset amplitudinem ac
magnificentiam templi Salomonici, domos
& palatia Regia, habitacula servorum, &
ordinis ministrantium, admirata sapientiam
Salomonis in his omnibus inveniendis, dis-
ponendis, ac perficiendis, non habebat ul-
tra spiritum. O si orbem hunc magnum ocul-
lis tuis corporeis indies subjectum, mentis
oculo profundius inspiceres, quantas in eo
divitias sapientiae Divinæ detegeres, quæ in
humam te raperent admirationem! ita ut